

COROLLARIUM.

ETideo pronomen non stat loconominis communis, sed proprij: cum enim dico, omnis homo: ly *omnis* significat Petrum, Ioannem, Franciscum, & alias personas humanas, scilicet *hic homo* significat Petrum, quem ostendo.

Distinctio quarta ex ordine.

Art. V.

PRonominũ alia primitiua, vt *Ego, tu, nos, vos, sui, ille, his, iste, ipse, is, quis*, alius. Alia deriuatiua, vt *meus, tuus, noster, vester, suus, idem, nostras, vestras, alienus*.

DECLARATIO.

Multa pronomina primitiua habent suum deriuatiuum à genitiuo dictum, vt ego, mei, facit meus, mea, meum, tu, tui, tuus, tua, tuum. Sui, suus, sua, suum, & nos producit, noster & nostras: vos, vester & vestras. *Is* producit *idem*, nisi hoc sit compositum ex *is* & *denum*. *At ipse, ille, hic, quis* sunt primitiua, & non produciunt deriuatiuum, alius tamen facit *alienus*, & *alier, alteratus*. Ipse quoque facit *ipsissimus* apud Plautum.

Diuisio quinta ex numero.

Art. VI.

PRonomen aliud singulare, vt ego: aliud plurale, vt nos.